



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quid sit pallium, á quo, quibus, quando, & quomodo petatur, & tradatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITULUS VIII.

DE AUCTORITATE ET USU PALLII.

§. I.

Quid sit Pallium, à quo, quibus, quando, & quomodo petatur & tradatur?

Pallium rectè dicitur præcipuum Archiepiscoporum insigne & ornamentum de corpore S. Petri sumptum (vel quia benedicatur, & consecratur super Altari S. Petri à Papa, vel quòd ex Altari Capellæ Pontificiæ sumatur; vel quia à solo Romano Pontifice de jure confertur) in quo Pontificalis Officij plenitudo cum Archiepiscopalis nominis appellatione confertur: sicut enim Episcopus non habet plenum jus in suo Episcopatu, antequam consecratur, ita nec Archiepiscopus plenum jus habet in sua provincia, antequam Pallium accipit, ita ut nec Archiepiscopum absolute se nominare possit ante acceptum pallium *c. nisi 3. h. t.* nec alia, quæ intra Missarum solemnità ab Archiepiscopis fieri solent, facere. Petitur autem, & confertur Pallium (quod est vestis candida, ex lanâ albâ contexta, in coronæ seu circuli modum, pectus ac humeros circumdans, ac quatuor nigris, vel purpureis crucibus distincta, anteriore parte nonnihil dependens) à solo Pontifice; & quamvis conferendi pallii licentia in *c. significasti h. t.* etiam quatuor Patriarchis principalibus, postquam à Romano Pontifice Pallium suum acceperunt, & eidem obedientiam juraverunt, re-

spectu suorum suffraganeorum concedatur, hoc tamen his ex privilegio tantum convenit, & ex commissione Summi Pontificis. Patet autem etiam ex descriptione, de jure solis Archiepiscopi hujus Pallii petendi, & utendi jus convenire; Episcopis verò aliis quibusdam ex speciali privilegio, quale privilegium habere dicitur Quinqueecclesiensis in Ungaria, Ostiensis in Italia, Papiensis in Longobardia, Lucensis in Tuscia, & Bambergensis in Germania. Qui omnes petere Pallium debent, intra tres menses à die consecrationis, vel si ante consecratus jam fuit, à die confirmationis computandos *c. ad honorem 4. h. t.* juncta Gloss. ubi etiam forma traditionis refertur.

§. II.

De usu Pallii.

Soli Romano Pontifici concessum est, uti pallio in omnibus Missarum solemnità semper, & ubique locorum (in quo scilicet plenitudo potestatis Ecclesiasticæ est) alii verò, quibus Pallii usus concessus est, nec semper eo, neque ubique uti possunt, sed tantum in Ecclesiis suæ jurisdictioni Archiepiscopali subiectis, ut patet *ex c. l. h. t. & ex c. ad honorem 4. eod.* ita ut uti eo nec possit extra Provinciam suam, nullâ consuetudine in contrarium aliquid valente, uti habetur in *c. 5. h. t.* nec extra Ecclesiam suam, si extra eam celebret; nec extra Missarum solemnità;